



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Recollectio Spiritvalis

Masen, Jacob

Coloniae Agrippinae, 1691

Prolegomena De rectè Meditandi, Orandi, & Legendi ratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60213)



PROLEGOMENA

De rectè Meditandi, Orandi, & Legendi ratione.

Priusquam Meditationes cujusque diei proprias aggrediamur, operæ pretium erit, universum de Meditatione pium Lectorem ac Commentatorem nonnullis præceptionibus, ad facilem rectumque illius usum, erudire; ut, quid illa sit, quibusque à communi lectione sit legibus discernenda, quâ viâ & arte instituenda, quibus rationibus diducenda, ac terminanda, antè constet, quàm exercenda suscipiatur: nè res, quæ magni omnino æstima- manda est, summique ad perfectionem & salu- tem est momenti, aut negligenter à nobis per- tractata, aut ab aliis sine illius sufficienti cog- nitione temerè suscepta videatur.

Qui Meditationem rerum divinarum descri- bunt Ascetici, hanc esse asserunt: *Applicatio- nem mentis nostræ, hoc est, memoria, intellectus, & voluntatis, ad mysteria fidei, cum pio ad De- um affectu & familiari colloctione consideranda.*

*Quid sit
Medita-
tio, &
quæ illius
partes.*

A

Ad

Ad hanc rectè instituendam S. Ignatius tria potissimum requirit. 1. Præparationem; quæ, præter cætera, orationem, & præludia, rem meditando representantia, complectitur. 2. Rem meditando; quam plerumque in tria, nonnunquam in plura puncta distinguit. 3. Colloquium: quod ad Deum ac Christum sæpius, aliquando etiam ad Sanctos, imprimisque Deiparam, instituit; cui emendandæ vitæ Propositum, cum gratiæ divinæ imploratione, conjungitur. Nos ordine de singulis agemus; ac subinde pauca, de singulari quadam contemplandi orandique ratione subjiciemus, quæque ipse per totum sparsit Tractatum Exercitiorum, brevi methodo, clariùs digesta, signatis in margine locis, proponemus.

C A P V T I.

De Præparatione ad Meditationem requisita.

Cap 13.
23.

*Præpara-
tio ad Me-
ditationē
triplex est.*

P Ræparatio ante orationem necessaria est, monente Ecclesiastico: *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* Ad Principum virorum conspectum, & colloquium, non nisi probè compositi præparatâque mente accedimus;

& ad

EXERCITIOR. SPIRITUAL. 3

& ad Deum alloquendum vagi & imparati non vereamur accedere? Planè hic nos attentos ad rem tantam adesse conveniet: ne se contemni, & ludibrio nobis esse, potiori jure Deus, quàm terrenus aliquis Princeps, tam viliter neglectimque in alloquio habitus, queri possit, ac dicere: *Hic populus labijs me honorat, cor autem eorum procul est à me:*

Mar. 15.

Quocirca ad Meditationem sedulò utilitèrque instituendam, triplicem quandam præparationem D. IGNATIUS in suis Exercit. requirit.

I. Remota est præparatio, qua meditaturus materiam suæ Meditationis antè præleget, eamque in certa puncta, seu capita partietur; finem denique, quem intendit, prospiciet. Ut verò manè præsentem expergefactus ad hanc animum adferat, vesperi postquam incubuerit, breviter suo cum animo recolet exercitium postero die assumendum.

Remota.

Ex Addit.

1. & 2.

tum ex

Hebd. 4.

Not 3.

Et in via quidem purgativa majoris verecundia & confusionis gratia cogitare poterit, quo vultu & animo subditus conspectum Regis sui, subditurus sit, quem graviter offendisse convictus esset, quamvis plurimis ab illo beneficiis affectus. Seque multarum offensionum in beneficentissimum Dominum suum reum esse, & jam mox eidem Judici sistendum esse cogitabit.

Ex Ad-

dit. 20

In via autem illuminativa, aut unitiva, me

Ex Hebd.

2. Not. 4.

A 2

aman-

amanter à Deo, Christo, aut Angelis, Sanctisque invitari ad propositum mysterium existimabo, excitatōque ingenti desiderio coram Deo dignè comparendi, mysteriāque divina cognoscendi, me ad piè meditandū disponam.

Propinqua
Ex Ad-
dit. 3

II. Propinqua est præparatio, si à loco Meditationis futuræ uno alterōve passu distans, tantillo tempore, quo oratio Dominica percurri queat, animo ad Deum erecto considerem Dominum meum præsentem, & spectantem quidnam acturus sim, cui reverentiam cum humili gestu exhibebo.

Proxima.
Ex I. Ex-
er. S. Ign.

III. Proxima præparatio, orationem & præludia complectitur. Oratione gratiam petimus, ut vires atque operationes nostræ omnes sincere ad ejus gloriam & cultum dirigantur. Hæc eadem ubique, qualis in prima nostra Medit. proponitur, esse poterit.

In præludiis 1. res meditanda per idoneam loci, vel etiam rei gestæ imaginationem, velut ante oculos ponitur, ut animus tantò facilius in ejus contemplatione, à distractionibus liber, defigatur.

2. Petitur gratia, ut finem in meditatione propositum assequi possim, e. g. in via purgativa turpitudinem peccati, malitiæque gravitatem agnoscere, de eodem admisso dolere ferriò, confusione mei & contritione excitata, tum verò imposterum forti animi proposito idem devitare.

EXERCITIOR. SPIRITUAL. 5

In via purgativa duo tantum præludia sunt. *Ex 2. 3. & 4. Hebd.*
Sed in aliis viis, tum quando historia aliqua, aut mysterium vitæ Christi expenditur, tria adhibentur. Quia in primo præludio summa rei gestæ est, in altero loci imaginatio & compositio formatur, in tertio gratia petitur, ut in exemplis infra patebit.

CAPVT II.

De Meditationis ingressu, applicationis modo, & materiae diversitate.

Ubi sic præparatus accesseris, ipsam deinde contemplationem aggredieris: nunc prostratus humi, & pronus, aut supinus jacens; nunc sedens, aut stans, & eo te componens modo, quo facilius speres, te id quod optas, consecuturum. *De compositione ad meditandum. Ex Ad-dit. 4.* Quod si flexis genibus, vel alio situ assequaris, nihil ultra requires. Deinde in puncto, quo assecutus quæsitam devotionem fueris, acquiescendum erit, sine transcurrendi anxietate, donec tibi satisfeceris.

In singulis verò punctis tres animæ potentiæ ita exercentur, ut *Memoriâ* recolatur quidquid ad præsentem spectat materiæ partem *De applicatione mentis.* (aliis omnibus sepositis) *phantasiâ* eidem sub-

A 3

venien-

Ex 1.
Hebd.
Exerc. 1.
& 2.
Et 2 hebd.
Exerc. 5.

veniente, ut personarum vultus, motus animorum, rerum situs, & atrocitas vel gratia, aliæque, quibus velut ad vivum res depingitur, adjuncta repræsententur. Ex his deinde *intellectus* per discursum à causis, exemplis, similibus, aut dissimilibus, præteritis etiam futurisque adhibitis, varia colligit ac concludit, quibus postremò incitata *voluntas* in varios fugæ, aut prosecutionis affectus solvitur, & statuit facienda.

De materia
diversitate, &
via tripli-
plici.

Purgativa.

Illuminativa.

Materia rerum meditandarum triplex potissimum ab effectu & operatione sua censetur, vel enim ad hominem à peccatis pravisque affectionibus purgandum servit; ut sunt omnia, quæ timorem Dei dolorémque de peccatis incutiunt. Quemadmodum novissima sunt hominis: mors, judicium, infernus; tum ipsorum peccatorum fæditas, gravitasque pœnarum illis imminentium. Et hæc ad perfectionem *via purgativa* vocatur. Vel illuminat in virtutis gratiæque divinæ æstimatione hominem; ut Christi & Sanctorum exemplo ductus ac stimulatus, ejus imitandi in omni virtutum genere flagret desiderio & amore; cæterarum verò in terris rerum fastidio & aversione capiatur. Et huc tota Christi vita, sive in agendo, sive in patiendo, quæ nobis in exemplum sanctitatis proposita est, spectat, diciturque *via illuminativa*. Vel denique purgatum jam à vitiis, illuminatum in virtutum exercitatione homi-

EXERCITIOR. SPIRITUAL. 7

hominem, cum Deo per intellectum, affectumque in contemplatione & amore Dei, ceterarumque rerum propter Deum, conjungit, & diversis affectibus circa Deum versantibus, ut gratiarum actione, admiratione, gaudio, gratulatione de tanta ipsius bonitate cæterisque perfectionibus, zelo animarum, & divinæ gloriæ, resignatione in voluntatem ipsius intimè unit; unde & *via unitiva* appellatur. Non tamen existimandum, quod hæc viæ affectusq; ita distinguantur, quasi non soleant permisceri, cum peccatum vitari sine virtutis studio non queat; & hoc peccator, non solum ex metu inferni, sed amore etiam Dei averfari possit, & merito debeat.

Unitiva.

CAPVT III.

De exercitio intellectus inter meditando.

Nunc de exercitio intellectus, sive discursu ex proposita materia formando, paucis agendum est. Certum est, moveri quemlibet inventis abs se rationibus argumentisque potius, quam ab aliis traditis; quod illa plerumque magis penetrentur, altiùsque animo insideant. Quare cum à Meditationum scriptoribus materia subjicitur, & indicantur tantum puncta:

Meditantes inventis magis, quam ductis scripto rationibus moverentur.

A 4

Ratio-

Rationes, & argumenta à meditantibus investiganda sunt, ne inveniendi opportunitas capacibus præripiatur; quibus proderit ad generales aliquos inventionis fontes recurrere, ut his meditatio ad fecundiorum discursum irrigetur.

*Quadam
igitur in-
ventionis
principia
his nota es-
se conve-
nit.*

Universè quid res sit, sive natura rei, tum e-
jus causa & effectus, proprietates; denique &
adiuncta, sive circumstantiæ expenduntur. Tum
hæc eadem, per contraria vel paria, testimonia,
leges, iudicia, & famam seu existimationem
latius diducuntur. Illa locos proprios; hæc
communes continent, quos his versibus in
mea Oratoria Palaestra complexus sum.

*Quid? per quæ? quale est? effecta, adjuncta-
que poscas.*

Contra, par, testes, leges, cum Iudice famã.

Sola adjuncta, quia magis in sensus notiti-
amque incurrunt, sufficere multis poterunt,
quæ vulgaris versus indicat.

*Ex adjun-
ctis, vulgò
notioribus.
res facile
diducitur.
Exerc. 2.
Hebd. 1.*

*Quis? quid? ubi? quibus auxilijs? cur?
quomodo? quando?*

Quibus illa etiam continentur, quæ D. IG-
NATIUS in via Purgativa adhibet, ut quo
fuerit persona peccans, quam vilis, cum tot aliis
hominibus, Angelis ipsoque Deo comparata.
quæ lasa per peccatum, quanta ejus sapientia,
bonitas, majestas, cum peccatoris abjectione
composita. quanta peccati foeditas, gravitasque
quomodo creaturæ ceteræ, ipsique Angeli tan-
tam

EXERCITIOR, SPIRITUAL. 9

tam Deo illatam injuriam non vindicârint, cum peccator adversus Deum tam protervè insurgeret. Sic & illa continentur, quæ in via Illuminativa spectanda exemplo tradit, ut *quis* sive quæ fuerit *persona* operans, *quid* dixerit, *quid* fecerit, vel quæ *verba* ipsius, quæ *opera* fuerint? Et vult, ut hæc Meditator cum sua *persona*, *verbis*, *operibus*que expensis ita componat; ut fructum ex iis percipiat. In via denique unitiva iisdem nos jubet considerandis insistere. Unde apparet, quod duo prima adjuncta *quis*, & *quid*, benè expensa præcipuam meditando copiam suggerant.

Exerc. 2.
H. bd. 2°

Exerc. 1.
Hebd. 4°

Quis enim *personas* designat, in quibus *sexus*, *ætas*, *conditio*, *dignitas*, *officia*, *affectus*, *virtutes*, *scientiæ* & *vitia*, præsens etiam præteritus ac futurus status considerari possunt. Et hæc singula per locos communes, id est contraria, similia, testimonia, &c. magis illustrari.

Persona
& *res gesta*
imprimis juxta
suas proprietates
expendenda sunt.

Quid, subjicit illa quæ quisque *dixit*, *fecit*, *omisit*, aut *perpeffus* est. Hoc est, *verba*, *opera*, *perpeffiones*, *omissiones*que; quò & *commoda* neglecta, & *damna* tolerata poterunt revocari; tum deinde *obligationes* ob accepta beneficia, vel munus susceptum, quibus quisque tenebatur facere, aut omittere. Ac postremo *motiva* seu *causa moventes* ex *necessitate*, *facilitate*, *inconcunditate*, *utilitate* ac *honestate* operis, quæ potuerunt impellere. Et hæc præcipuè cum jam *movenda* voluntas est, adhibentur.

Vbi, locum ejusque attributa consideranda spectat, ut privatimne an publicè, sacro an profano, alto an humili, &c. loco res facta sit?

Quibus auxiliis ostendit, quas ab aliis & se ipso ad rem perficiendam vires animi & corporis, quas *opes*, vel suas, vel alienas adhibuerit. Quid Deus, aut homines contulerint.

Cur, hoc est, quo *sine* aut intentione operantis (Nam finis intrinsecus operis ad causas spectat) seu quibus rationibus ad operandum inductus sit, & an honestum utili præposuerit, æterna caducis?

Quomodo, hoc est, quàm *rectè*, prudenter, commodè, fructuosè, honestè, celeriter, aut laudabiliter, vel *conràt iniquè*, &c. rem egerit.

Quando, ad *tempus* ejusque attributa referatur; ut hieme an æstate? die an nocte? brevi an longo, pacis an belli tempore res acta sit?

Adjuncta ad rerum etiam naturam penetranda nos ducit.

Hæc illis, qui naturam rerum, ejusque proprietates, tum causas effectusque earum minus penetrant, servire ad discursum facile poterunt, cum adjuncta plerumque rebus ipsis notiora sint, & ad illarum naturam facilius penetrandam deducant. Videndum tamen in primis est, ut discursus noster, qui de rebus fidei est, in sacris in primis literis fundetur, intellectumque manifesta veritate convincat; ita enim facilius voluntas in obsequium affectumque trahetur, quò omnis noster discursus referendus est.

Ad

EXERCITIOR. SPIRITUAL. ii

Ad excitandum verò nonnunquam in frigidiore discursu animum, faciet, si expendat I. Quid aliis in malo pertinacibus, aut etiam amico hac in re consulenti suafurus, quibusque rationibus ad virtutis e. g. & honestatis curam inducturus esset. II. Quid in morte, atque ipso æternitatis felicitis aut infelicitis aditu se velit fecisse. III. Quam beati nunc sancti viri sint, & in æternum futuri sint, qui exiguo tempore, his superatis difficultatibus Deo serviêrunt; contra infelices illi, qui breviculæ voluptati æternam posthabuêre. IV. Quid Deus ipse ultro hujus vitæ calamitatibus, nostri gratiâ subiectus, fecerit ac perpeffus sit. Quamque stultum & vâcors sit, hoc nolle pro propria salute hominem, quod Deus homo præstitit pro aliena. V. Quot beneficia à Deo in te collata, & hoc saltem gratitudinis nomine exigant. VI. Quàm gloriosum sit Deo amicum esse, atque agere quæ illi placeant; Christo verò dilecto ejus Filio, & hîc & in æternum esse quàm simillimum. Hæc aliâque ad excitandum universè discursum, affectumque facilius promovendum facere poterunt.

Pro affectis concitando juvat considerare.

1. Quid aliis suafurus sis.

2. Quid in morte factum velis.

3. Quam felices pii?

4. Quid fecerit Deus ipse.

5. Quot beneficiis provoceris.

6. Quantum boni Deo jungi.



CAPVT IV.

De piis Affectibus in genere, & quibusdam in particulari.

*Affectibus
prosecutio-
nis bonum
petimus:
fuga ma-
lum decli-
namus.*

Reliquum est, ut de piis inflammati cordis affectibus videamus. Horum duplex genus est, prosecutionis, quibus appetimus bonum: & fugæ, quibus devitamus malum. Illa sunt amor, desiderium, gaudium, spes, audacia, quibus opponuntur odium, abominatio, tristitia: vel dolor, desperatio & timor. Amore rem prosequimur, ut bona videtur; odio fugimus, ut apparet mala. Desideramus bona absentia, abominamur mala instantia. Præsentibus bonis gaudemus: malis dolemus. Speramus bonum absens, quod obtentu videtur possibile; secus desperamus. Audemus cum periculum in bonis desideratis apparet superabile; timemus, cum videmur superandi, aut certè periculū fugimus.

*Amor &
odium
simplicis
affectus
est, vel
efficacis.*

Amor autem & odium, vel in simplici tantum complacentia boni, aut displicentia mali consistit: vel in effectu ad bonum aut malum efficaci. Et hic amor ad consensum mediiorumque electionem ac usum deducit, atque in meditatione potissimum spectandus est, cum ceteri ex hoc uno affectu dependeant, ac regantur. Et in via quidem purgativa per actus fugæ hoc est timorem novissimorum, abominatio-

nem.

EXERCITIOR. SPIRITUAL. 13

nem & dolorem de peccatis, animam virtuti præparat: ut in *via illuminativa*, desiderium, spem, audaciámque ad Christum sequendum acuit; in *unitiva* gaudium, cum plena charitate & quiete in Deo accendit. Hi tamen affectibus pia voluntas, credendi Deo in omnibus, per fidem subservit.

Mixti ex iisdem quoque affectus nascuntur; ut admirationis, condolentiæ, seu compassionis, fiducia, contritionis, gratitudinis, resignationis, humilitatis, patientiæ, castitatis, obedientiæ, zeli animarum & gloria Dei, &c. Porro de præcipuis Meditationis affectibus quemadmodum exerceri ac diduci possint, breviter differemus.

Affectus fidei summè necessarius est: cum viva fide nitatur tota religio nostra, & meditatio affectusque omnis. Excitabis hunc i. considerando, quod Deus sit summa veritas, qui fallere non possit, & summa sapientia, qui falli nequeat, ac summa bonitas, qui fallere nõ velit.

Quod autem summa veritas illa dixerit, quæ in S. Literis proposita, & ab Ecclesia Catholica hucusque custodita, atque hoc sensu nobis exposita sunt: quodque summa Dei bonitas ad nostram institutionem & salutem hæc nobis relinquere voluerit, his nihil potest esse credibilis, ideóque teneris prudenter admittere.

Verè David: *testimonia tua* Ô Domine, *credibilia facta sunt nimis*: Et Paulus *quacunque*
scripta

*Mixti fere
 re virtutum
 affectus sunt.*

*Affectus
 fidei fundam
 entum
 rectè medi
 tandi est.*

*Nititur
 prima ve
 ritate.*

*Psal. 92.
 Rom. 15.*

Scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt; ut per patientiam & consolationem scripturarum sp̄e habeamus. Hoc fine nobis etiam omnis creatura, ipsique de cœlo Angeli serviunt, totque beneficiis Deus opt. max. excitat, ut piè credentes, monitisq; ejus obsequentes vitam habeamus æternā. II. Expendes, quàm stulti, vilis animi, & infelices sint, qui hæc non credunt Deo, nec sensum consensumque Ecclesiæ, à Christo ad nos usque deductæ, sequuntur; cum nihil illo possit esse securius; quod autem maxime securum, hoc utique in æternæ salutis negotio prudenter nequit repudiari. III. Vide, quænam illa sint, quæ in vera fide retardant homines, ut solent esse illecebræ carnis, mundi, ac Dæmonis, ad liberiores vitam provocantes à jugo Christi & viâ angusta Crucis: tum deinde proprii judicii in sensibus scripturarum interpretandis æstimatio, & nimius amor sui: postremò etiam gravia incommoda, aut tormenta, quæ perstanti in fide essent sustinenda; contra emolumenta & honores temporales, qui deficienti afferrentur; & hæc universa, cū pia subjectione judicii tui, rejectione illecebrarum & commodorum, pœnarū etiam contemptu, ex amore veritatis, salutis, & reverentia supremæ autoritaris Dei amplectere, nullius mori, quàm ab his discedere paratior: ut à tot sanctis Martyribus factum est. Hujus fidei exercitium in omni ferè Meditatione locum ha-

*Quæ per
universa-
tis Ecclesia
consensum
nobis pro
poni debet.*

*Retardan-
tia ab illa
fide sub-
movenda
sunt.*

bet

EXERCITIOR. SPIRITUAL. 15

bet præcipuè tamen in via purgativa usurpan-
dum est ut quæ de iudicio, infernoque &c.
proponuntur, firma persuasione teneas.

Affectus Spei & Fiducia, qui tam gratiam &
beneficia vitæ hujus, quàm alterius gloriam &
felicitatem spectat excitabitur, tum spectando
donum ipsum, tum personam cui donatur, &
Deum qui donat. I. Ex parte doni speramus
illud si promissum, si facile, si pluribus tribui
solitum, ut sunt necessaria ad vitam, si quæra-
mus primo regnum Dei; gratia ad benè pièque
juxta Dei præcepta vivendum, si constanter
petatur, cum non simus *sufficientes cogitare ali-*
quid ex nobis. II. Ex parte accipientis, quamvis
ille, ut ingratus hæctenus, ita & indignus sibi
videri possit: tamen quia suâ nos Deus mise-
ricordiâ dignos fecit, venire in partem fortis
Sanctorum, ex Christi meritis pro nobis Deo
Patri oblatis spem jure concipimus. III. Ex
parte donantis est ejus promissio, quæ nõ fallit;
bonitas, quæ tot hæctenus nos beneficiis cu-
mulavit: miseratio & pietas, quæ toties offen-
dentes, tanquam prodigos filios, in paternum
sinum amplexumque recepit, nos meritò in
spem magnâ eriget, tum præsertim liberalitas;
nam si cogitemus longè illû profusiorè ad tri-
buendum esse, quàm nos ad petendû sumus, qui
postquam omnia nobis tribuisset, etiâ donavit
semetipsum, quid ab illo non erit sperandum?

Affectus Spei huic proximus animum ad divina erigit.
1. Spectatur in hac donum promissum.

2. Christi merita pro nobis oblata.

3. Persona promittens ejusque bonitas & miseratio.

Affectus Charitatis seu Amoris Dei. I. inflam-
mabi-

Affectus

mabi-

*charitatis
ex chari-
tate Dei
immensa
erga nos
accen-
detur*

*1. Amor
Dei ex in-
carnatione
singulari-
ter patet.*

*2. Nihil
majori a-
more dig-
num,
quàm
summum
bonum.*

mabitur, si consideres, quod Deus tam excelsus infinita charitate, te vilissimam creaturam, primò complexus sit, & ex illa ita tibi tribuerit universa, ut si tu solus in mundo esses, cui ipsos non tantùm ad serviendum Angelos, verùm se ipsum deniquè ad salutem tuam procurandam addixerit. Illius igitur amoris, si spectes altitudinem, eadem te complectitur, quo supremum Angelorum, ipsamque sanctissimam Matrem suam; si profunditatem, ad ipsam se demittit abyssum perditorum, hoc est, infernum, unde te immerentem eruit: si longitudinem, ab æterno cum ipso Deo hic amor duravit, duraturus in omnem posthac æternitatem, nisi prior homo ex malitia illum abruperit: si latitudinem, nihil est in universo terrarum orbe, nihil in cælo, nec ipse quidem Deus, quod non ad salutem, utilitatem & felicitatem tuam velit convertere. Quantus ille Dei Patris amor, qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum! quantus Filii, qui oblatus est, quia ipse voluit, posuitque animam suam pro ovibus suis! quantus Spiritus S. qui, ut homo Deus fieret, Virginem mortalem obumbrare & fecundare dignatus est, & cujus charitas diffusa est in cordibus nostris. II. Expende, quòd cum hoc tantum amando prosequamur, Deus quò summum bonum sit, atque immensum, quod in se complectatur quidquid amabile est, in summa perfectione & eminentia: omni illum possibili-

possibili amore esse dignissimum, extremamque
 amentiam videri, isto relicto, extra periturum
 aliquod ac futile bonum amplecti. III. Vide, *3 Summi*
 quanto veri amatores Christi amore exarserint, *amatores*
 Paulo exclamante, *suo nos ex-*
emplo ac-
cendent.
quitate, qua est in JESU Christo Domino nostro?
an tribulatio, an angustia, &c. & Ignatio Marty-
 re: *ignis crux, bestia, & omnia tormenta Diaboli*
peniant in me, dummodo Christo fruatur. Quid
 quid igitur, aut caro, aut mundus, aut daemon,
 vel blanditiarum vel poenarum admoveant, ig-
 nis veri amoris vincit ac edomat. Quod verò isti
 ex eadem tecum carne compacti, in rebus tam
 arduis solo amore perripere, cur tu in multo
 levioribus non poteris?

Affectus contritionis trium harum virtutum
 motivis, ac præcipue charitatis innititur. Est
 enim hæc duplex, alia imperfectior, quæ Deum
 punientem scelera, vel præmiantem virtutes,
 aut quævis bona etiam gratuito tribuentem
 respicit, ideoque ex timore poenarum, aut spe
 præmiorum peccata detestatur. Quæ contritio-
 ne, cum non tam Deum homo amet, quam se-
 ipsum, cujus commodum intuetur; peccatum
 extra Sacramentum non tollit, connitendum
 igitur, ut ex alia perfectiori contritione, ideo
 peccata detester; quia divinæ tantum displi-
 cent, aut adversantur bonitati. Ita, ut si neque
 infernus, neque cælum esset, quæ timeri, aut
 sperari possent; hujusmodi tamen scelera dete-

Contritio
alia im-
perfecta:
alia perfe-
cta,
Imperfecta
poenam
magis aut
præmia,
quàm Deo
respicit.

B

stare,

*Gradus ad
perfectam
esse potest.*

*a. Beneficia
Dei consi-
derata mo-
vent.*

*g. Mors
Christi.*

*Hi affectus
infra pra-
dicè didu-
si sunt.*

stare; quia supremam Dei majestatem bonita-
témque offendunt. Poterit tamen ad hunc affe-
ctum ex priori velut gradatim perveniri: si vi-
delicet aeternas poenas, quas te pro merito vi-
des, sola Dei benignitate & miseratione, te, pra-
tot aliis (interea, dum tu peccas, damnatis) ex-
pendas evasisse, & aeternam felicitatem, quam
amiserunt alii, etiánum licet immerentem,
posse adipisci; idque gratuita ipsius bonitate
factum consideres, quam ex animo doleas à te
unquam fuisse offensam. II. Expendere bene-
ficia varia poteris, omni penè in te momento
collata: etiam tum, cum ingratus offenderes, id-
que à summa majestate, cui tu in tanta vilitate
tua nequeas comparari. III. Cogitare, quid de-
nique ad tot labores dolorésque, ad opprobria
ultima, mortemque, pro te, usque adeò ingra-
to homine, perferenda, tantam impulerit ma-
jestatem, tui minimè indigam, nisi amor plane
admirabilis, tibi impensus: quam indignum sit
ita amantem, non solum non redamasse, sed of-
fendisse etiam! Dolebis igitur, detestaberisque,
quidquid tantæ majestati adversatur, mortem
subire paratior, quam illi, peccatis rursus tuis,
morte gravius malum inferre, qui vulneratus
*est propter iniquitates nostras, attritus propter
scelera nostra.*

Hos eisdem affectus, ex his aliisve motivis
per Meditationes sequentes reperies: & illos
quidem practicè per discursum brevem didu-

Etos.

ctos: uti & aliarum virtutum timoris Domini, humilitatis, obedientiæ, resignationis, paciëntiæ, &c. Hoc solum loco quædam tradere motiva Theologicarum virtutum placuit, ob hos affectus maximè nobis ubique in meditandis rebus necessarios.

CAPUT V.

De modo producendi pios affectus.

Quando quidem verò præcipuus Meditatio-
nis fructus in affectu inflammato consistit; ut ex quo in via purgâte facilè homo ad virtutum pravarumque affectionum extirpationem impellitur, in via illuminante ad virtutum exercitia stimulatur, in uniente denique cum Deo per amorem arctissimè sociatur: iccirco præter consuetudinem aliorum in scribendis Meditationibus versantium, affectum cuiusque puncti explicatiùs aliquantò subjiciendū censui; ut si quis in hoc exercitio, vel sterilior, vel frigidior hæreret, is ad eum meditatè cunctantèrque, cum gustu, quo posset spirituali, legendum accederet. Ne eveniat, quod apibus per quosdam flores discursantibus, unde ad usum nihil decerpunt. Quia tamen ejusmodi à me affectus plerumque parciùs expositi sunt, quàm vel natura eorum ferret, vel Meditantium desiderium exposceret. Placuit hic observatâ à nonnullis generalem quandam affectuum explicatiùs diducendorū rationem, eamque ordine alphabetico memoriæ causâ præmittere: ut sicui

Ex Affectibus præcipuus fructus est.

affectibus diutiùs immorari libuerit, is ex hisce modis, qui maximè opportuni visi fuerint, pro arbitratu usurpet. Sunt autem:

*Affectus
quidam u
niversales
particula
ribus ad
amplificã
dum sub
servientes.*

Agnitio veritatis propositæ per vivam fidem

Admiratio dispositionis, providentiæ aut bonitatis divinæ.

Æstimatio temporis, gratiæ & beneficiorum Dei.

Benedictio Dei, nostri ad eò solliciti, sapientis, benevoli, &c.

Communicatio cum Angelo custode, sancto aut Deo consilii.

Confessio præteritorum delictorum, negligentia, ingratiitudinis, &c.

Confortatio ad emendationem ex spe divina gratiæ, & exemplis SS.

Detestatio malè vel tepidè exactæ vitæ, & neglectæ gratiæ

Exhortatio, quâ ad perfectionem, & victoriam te impellas.

Fiducia, quâ statuas te in Christi meritis omnia posse.

Gratitudo, quâ Deo, ad hanc te gratiam fervanti, totum te offeras.

Humilitas, quâ indignum te tot donis agnoscas.

Invitatio Sanctorum om. ut tecum orent Deum, glorificent, &c.

Laudatio Dei tam in se gloriosi, in nos benefici, &c.

Memoria

EXERCITIOR. SPIRITUAL. 27

Memoratio beneficiorum, quæ omni vitæ momento Deus contulit.

Negatio, quâ statuat, se nulla in re ipsius beneficiis abufurum.

Oblatio opum, famæ, vitæ, & potentiarum Deo; ut gratiæ respondeas.

Petitio ut, per Christi merita, Deus omnia ad salutem tribuat necessaria.

Propositum de futuræ vitæ rationibus certâ lege instituendis.

Querela pia, quod desideria amandi, ut par est, Deum, explere non liceat.

Reprehensio sui ob neglectum tempus gratiæ, cælestia præmia, &c.

Sollicitatio intercessionis, & à Deipara Sanctis & Christo.

Taxatio operum, poenâ certâ, nisi perfece-
ris, constitutâ.

Votum, quo optes, hæc, aut illa à te perfectè expleri posse, ut à SS. &c.

Zelus, quo desideres omni possibili affectu, effectuque Deum glorificare.

En Alphabetum affectuum continuandorum verè aureum, ex quo nunc hos, nunc illos devotionis amplificandæ actus sibi quisque deligere poterit, prout maximè senserit conducere. Acui illi quoque per figuras quasdam Rhetorum aciores poterunt; ut per *Interrogationes*, *Exclamationes*, *Apostrophes*, *Prosopopœias*, &c. prout cuique ardor & animi impetus

Per Rhetorum figuras exacuuntur affectus.

suadebit. Nam ad vim affectibus imprimendam (ut exemplo utar) magnopere juvabit, si Christus tanquam venturus Judex peccatorum, arguens per profopopœiā exhibeatur, irato vultu, corrugata fronte, flammantibus oculis, intentato de cœlo fulmine, minaci voce, terribili furore irruens: aut si amicam animam tanquam sponsus sponsam, ore renidenti, explicatâ fronte, serenis oculis, voce blandiente compellet, ad amorem invitet, soletur in adversis & excitet. Quocirca neque illa figurarum acrimonia ab his affectibus est submovenda.

*Rationibus
breviculis
interpositis
etiam so-
ventur.*

Ad amplificandum quoque exacuendumque affectum faciet, rationes alias aliâsque ab intellectu, velut ignis alendi fomenta subicere: neque enim inflammata jam volūtate mentis discursus planè est seponendus; sed novis identidè animus alimentis est excitandus, ne repenti in tepescat. Huc autè imprimis faciunt rationes illæ, quæ ab *utili, honesto, pulchro, jucundo, ac necessario* suppeditantur, quos rudis versus exhibet:

*Utile, honorificum, pulchrum, volupe, atque
neesse.*

Quæ cum oppositis, ut *inutili, inhonoro, turpi, injucundo, minimèque necessario* cōpositæ magis eminent, & illustrantur; de quibus in nostris Rhetoricis fufius: ubi etiam sigillatim de affectibus actum est. Denique ad producendū excitandūque affectum, sanctorum quispiam, e. g. Apostolus Paulus in Charitate, Deipara in humili-

*Sanctorum
exēplis &*

humilitate, maximè autem Christus ipse Servator noster, tanquam perfectissima virtutum omnium idea, nobis est proponendus. In hoc uno plura nos accendent. Nam

*præcipuè
Christi Domini vari-
is modis
considerati
affectus
promoven-
tur.*

Influit, exemplar, finis, docet, atque meretur.
Si enim hunc spectemus, *ut principium*, qui per gratiam suam influat, nosque excitet; si *exemplar* vitæ actionumque suarum proponentem; si *ut finem* denique gloriosum, cui, & in hac, & in altera vita conformemur; si *ut Magistrum* ad eò sollicitè nos ad virtutem instruente; si denique tam caro *pretio sanguinis sui*, hanc mihi occasionem salutis & divinæ gloriæ procurandæ *merentem*; quis non assurgat animo, omni que devotionis ardore inflammetur? Hoc fac, & vi-
ves.

Habes instructionem per brevem de affectibus; quæ non tantum res sacras Meditantibus, verum & pro Concione populi dicentibus ad inflammandos alios poterit deservire.

CAPUT VI.

De colloquiis pie utiliterque instituendis.

Colloquia cum Deo, Christo, aut Sanctis Dei, Meditationem solent concludere; tum ut *laudem* Deo dicamus in omnibus bonis ipsius, *gratiasque* pro beneficiis in nos

Ex hebd. 1.
Exerc. 1. 2. &

Colloquiis
Meditatio
concludi-
tur.

Ex 3 hebd.
contempl.
3.

Ex hebd.
Exerc. 1.

collatis referamus : tum ut gratiam à Deo impetremus , ad implendum quod proponimus. Quæ licet in reliquis etiam Meditationis partibus queant usurpari , in fine tamen , qui ferventior esse debet , potissimum sunt adhibenda. Quod si ad Deum fiant, concludi per orationem Dominicam poterunt, si prolixius instituta, primò intercessionem Sanctorum, aut Deiparæ Virginis, & Mediationem Christi hominis apud Deum postulent , ac denique ad Deum Patrem dirigantur. Primum colloquium ad Deiparam, per *Ave Maria* : alterum ad Christum, per *Anima Christi* : tertium ad Patrem, per *Pater noster* concludatur.

Ut verò hæc colloquia majori devotione peragantur, consultum erit, pro ratione materiæ, nunc personam Rei induere, Judicem suum deprecantis : nunc Servi exorantis Dominum, nunc Filij cum Patre, Sponsæ cum Sponso , aut amici cum amico loquentis. Hæc colloquia Deus ipse, aut etiam Sancti nos invitantes, rectè nonnunquam auspicari poterunt : ut hæc nos invitatione excitati, majori fervore accuramus. Cum in his præcipuus director esse debeat Spiritus S. qui postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Nonnunquam etiam omnes creaturæ nobiscum ad laudes Deo concinendas adhiberi poterunt, ut ab Hebræis in Babylonia fornace adolescentibus egregiè factum legimus.

CAPVT VII.

*De Recollectione instituenda, notandis
luminibus rarioribus, & forman-
dis in particulari propositis.*

Recollectio post horam Meditationis ex-
pletam, brevis erit, per horæ quadran-
tem circiter, à stante, aut deambulante insti-
tuenda, quâ de successu Meditationis inqui-
ret: ut vel doceat emendétque impostherum si-
quid actum perperam; vel sequatur, quod be-
nè successit; actis Deo gratiis.

Examinet igitur 1. quemadmodum *se* ad il-
lam *præparaverit*. an juxta præscriptas supra
regulas? an in præsentia Dei constitutus præ-
ludia, & orationem præmiserit?

2. An, & quomodo in progressu mentem
applicaverit? quas rationes, & lumina intelle-
ctus habuerit? qui affectus & proposita fue-
rint voluntatis? Nimiùmne illis, his neglectis
inhæserit, curiosè magis intellectum pascen-
do, quam piè voluntatem inflammando? An
propositum in oratione scopum, de certis vi-
tiis devitandis, aut virtutibus seriò prosequen-
dis sit affecutus? Si distractus, aridus, & inde-
votus fuerit: quæ causæ, & quomodo alias
cavendæ?

Ex Addit.
5. ad Exerc.
Post Medita-
tionem insti-
tuenda Rec-
ollectio est,
cum Exa-
mine suc-
cessu.

*Rariora lu-
mina sunt
ad usum no-
tanda.*

3. *Observet veritates & lumina rariora,* quibus intellectus planè convictus fuerit, e. g. in nullo nos posse gloriari: ex agnitione nihili, quod non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis: aut, quod hujus vitæ bona sectari, neglectis cœlestibus, stultissimum sit; cum nec unicum quidem momentum vita nostra, cum immensa æternitate comparata, possit ac debeat censeri: tum deinde *motiones impulsusque voluntatis* investiget, cum hujus aut illius pii exercitii sive virtutis sequendæ proposito. Ex quibus tam hæc, quàm illa paucis erunt in charta signanda; ut, languente quandoque fervore, in iisdem recolendis sese animus exerceat, & in promptu habeat, per quæ sequentem deinde vitam, rectius constantiusque moderetur.

*Proposita in
casibus par-
ticularibus
ad praxin
dirigenda.*

4. Diligentèr animadvertat, quæ fuerint *proposita*, an & quomodo in praxin redigenda? Non enim sufficiet generatim e. g. *in via purgativa* statuisse: omnia sese peccata vitaturum, & moriturum potius, quàm in mortale delictum in posterum consentiat. Sed singulatim quòque statuendum has illasque *peccandi occasiones*, quibus se frequentius impulsus advertit, *vitaturum*. e. g. luxuriosos socios, liberas evagationes oculorum, turpia colloquia, contactus, cogitationes libidinosas, quibus se ad graviora sensim incitari observavit, hæc nulla ratione velle admittere.

*Quomodo id
per vias sin-
gulas tran-
sandum ex
amplis tra-
ditur.*

Tura

EXERCITIOR. SPIRITUAL. 27

Tum verò *pœnitentiæ opera*, jejunia, cilicia, orationes, frequentem conscientiæ expiationem, *tanquam remedia* opportuna huic vitio infringendo, *adhibiturum*. Et sic de reliquis non tantum criminibus, sed & *pravis habitibus & inclinationibus extirpandis* (quibus se sentit obnoxium) erit statuendum. Et hæc quidem ut in via purgativa; ita & in illa, quæ *illuminativa* dicitur, de *virtutum studio satagendum* est, non generali solum proposito, verum particulari etiam insistendo; ut si e. g. animadvertas, te in humilitate parum esse proVectum, illius naturam, gradusque & perfectionem investiga: tum verò ante omnia *exemplar* tibi istius virtutis in Christo, aut ejus *Sanctis* propone, & frequenti cogitatione recole: decus, gloriam, ac præmia tantæ virtutis expende: *fuge quidquid illi*, sive in cogitatione, sive in verbis, & multò maximè, quod ipso opere *adversatur*, sensimque, *frequenti virtutis illius exercitio*; ab inferiori gradu ad altiorem, hoc est, à neglectu laudis, ad amorem etiam contemptus enitere: ut tanto possis esse Christo similior. Sic in *via unitiva* e. g. non tantum decernas, velle te in omnibus Deum spectare, atque voluntate & amore ipsius operari universa; sed in rebus, quas tibi maximè molestas accidere, animique quietem turbare nosti: in his millies repetendum statue:

Non

Non mea, sed tua voluntas fiat. Ita Domine, quoniam sic placitum fuit ante te. Conclude, te firma fide apprehensum, quod Deus omnia operetur in omnibus, ideoque nihil boni, aut mali (solo peccato dempto) creaturæ, sed Deo velle tribuere, illi que referre gratias in omnibus. Ad quod iuverit familiari quadam melodia mentis hæc identidem verba modulari secum tacite, aut volvere: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Quæ sæpius repetita, ubi animus ab aliis occupationibus liber erit, ultrò sese ingerent, illumque ad Deum, velut centrum suum reducent.

*Singuli pro
statu in quo
versantur
proposita
formabunt.*

Hæc admonitio tanti ponderis est, ut in hac, tanquam ultima machina, omnis noster profectus, quem ex spiritualibus hisce commentationibus sperare possumus, collocetur. Nam nisi ad particulares ejusmodi praxes, nostra proposita in ardore meditandi concepta, denique composito jam animo, per recollectionem redigantur, ut ignis plerumque subtractis fomentis, evanescunt, atque in ventum resolvuntur. Debet autem quisque attendere quibus potissimum vitiis laboret, & virtutibus indigeat. Quid tanquam Christianus, & quid ex peculiari status sui ratione omittere, ac præstare teneatur.

* * *

CAPUT

CAPVT VIII.

De Contemplatione ex applicatione sensuum per imaginationem, illustrationibus item & motionibus sensuum applicationi respondentibus.

PRæter consuetam hanc Meditandi rationem, aliam S. IGNATIUS minus usitatam tradit per quinque sensus imaginarios, siue interiores, totidem sensibus exterioribus respondentes. Quæ tamen Contemplatio potius, quàm Meditatio appellanda est; quòd, imaginibus in phantasia formatis intenta anima, eas sine multo discursu contempletur. Ita fingere potest *in via purgante* se præsentem *spectare* vasta inferorum incendia: *audire* dolentium ejulatus, *jactasque* in Deum blasphemias: *olfacere* sulphur foetoremque: *gustare* amarissimum fumum: *tangere* ardentis flammæ, eorumque omnium cruciatu dirissimo, siue purgandum, siue etiam æternum, si ex merito agatur, damnandum se deposci. Sic *in via* quoque *illuminante* præsentem se sistet Incarnationi per Angelum annuntiatae, aut Natiuitati Christi: *spectando* hinc Virginem, inde Ange-

De contemplatione, & applicatione sensuum.

Ex contemplatione s. primæ & secundæ hebdom.

Angelum; audiendo verba utriusque; odorem caelestem percipiendo: tangendo vestigia, aut pedes Angeli, eosdemque desuaviando. *In via uniente*, se Christo, vel resurgenti, vel ascendenti junget: jucundissimo illius fructur spectaculo, verba avidè excipiet, cum Magdalena ad pedes sese abjiciet, conabitur deosculari, aut caelestibus se choris immiscebit, sensusque omnes inebriabit ab ubertate domus Dei. Hæc tamen cum debita veneratione præsertim in sensu tactus, non secus ac si præsens adesses corpore, tibi erunt pertractanda.

*Reflexio
contem-
plantis
ad se &
mores suos.*

Postquam autem applicatum sensum aliquem pia hac contemplatione satiaveris, ad te mentem reflectes, brevique discursu animum *ad malum aliquod vitandum*, aut *virtutem colendam*, ut supra dictum, impelles. Sic e. g. visis expensisque horribilibus damnatorum tormentis, colliges, quàm abominanda res, tibi que vitanda peccatum sit; quanto pietatis studio breve hujus vitæ tempus salutis tuæ impendendum, ut ab hoc tormentorum loco immunis sis: quantum Deus diligendus, qui hæc tæneus conservavit.

*Non cui-
vis hæc
contem-
platio con-
venit.*

Sed hæc meditandi ratio non cuivis suadenda est: tum quòd caput facile, ex vi & contentione imaginativæ, debilitet: tum quòd illusionibus Diaboli patere nonnunquam queat; ideòque cum discretione spiritualis Directoris sit usurpanda. Cæterum ubi moderatè consul-

EXERCITIOR. SPIRITUAL. 31

consultoque adhibetur, magnam vim habet animos in quancunque partem impellendi: quod ille in hac vita sensuum ministerio potissimum rapiatur. Ejusmodi Meditationes tamen nullas iccirco præfixi, quòd juxta præscriptam materiam omni loco, in Repetitionibus à S. IGNATIO suggestis, adhiberi queant, si qui his se juvari in primis senserint; consilio ea de re successuque, ne fraudibus pateant, cum Directore communicato.

Huic cõtemplationi aliquando similes sunt illæ illustrationes & motus, quibus Deus in nobis loquitur, rapitque animam nostram.

Illustrationes & motus p. 1.

Nam I. Deus quandoque, velut fulgur coruscans, per repentinam illustrationem, animam nostram ad veritatem aliquam, singulari in luce, contemplandam extollit, quæ *visio* dici potest. Sed hæc rariùs, nisi cum animus à terrenis rebus vacans cœlesti patet influxui, contingit: juxta illud Davidicum: *Vacate, & videre, quoniam ego sum Deus.* Ita nonnunquam peccati turpitudine, & inferni horror inspectus repente peccatores mutat, atque in alios viros transformat, singulari Dei gratiâ. Ejusmodi lumina cum Meditantibus offeruntur, magna gratitudine excipienda sunt, & sollicitudine fovenda, ac recolenda: ne sine fructu evanescant.

1. Visio divinis notis.

Psal. 45.

II. Deus aliquando, velut loqui per se, vel S. literas *auditus*, singulari energia percipitur:

2. Auditus.

ut

ut D. Antonius in Concione audiens : *si vis perfectus esse, vade, & vende omnia qua habes, & da pauperibus ; & veni, sequere me* : sibi dictum credidit. Augustinus, *non in cubilibus, & impudicitis, non in commessionibus, & ebrietatibus ; sed induimini D. J. C. Paulus, Saule, Saule, quid me persequeris ? Vade ad Ananiam, is tibi dicet, quid te oporteat facere.* Similes his internæ & mentales locutiones sunt, de quibus Sponsa : *Anima mea liquefacta est, ubi dilectus locutus est.* Has locutiones anima quandoque Deo intentâ, & ad dilectum suum anhelans ingenti solatio excipit, ideoque *auditus* nomine hæc inspiratio solet distingui. Sed cavendum, ne voces illæ perceptæ temere negligantur.

● Cant. 5.

3. Gustus.

Psal. 13.

III. Et *gustum* quendam singularem, in spiritualibus quibusdam sensibus, Deus servis suis communicat ; ut præ his terrena prorsus desipiant, & vilescat quidquid divinum non est. Talem David in rigidis etiam Dei iudiciis percepit, tam ad flagella, quàm blanditias Domini paratus. *Iudicia, ait, Domini vera, desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & favum.* Et hic sapor non rarò ab anima ad ipsum sese corporeum gustandi organum, non sine dulci liquore oris transfundit. At videndum, ne suavitate illa cessante, ut diuturna esse non solet, & ferè imbecillioribus, ut lac infantibus dari,

interior

interior animæ erga divina affectus intepescat. Memoria igitur in consideratione ista, undè hic gustus natus est, frequenter est excolenda.

IV. Quidam etiam ex rebus spiritualibus odoratus inter res sacras, & cœli delicias, tanquam inter flores, aromata, & unguenta, verfantis hominis nonnunquam percipitur, ut dilecto sponsa dicat: *odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Hic sensus majoris perfectionis studiosis, & cum Deo propius ac familiarius junctis solet communicari; ut qui se in spiritualibus deliciis, velut in paradiso quodam recreant & oblectant.

V. Denique amantibus Deoque intimè frequentibus tactus quidam, ac velut mutuus amplexus indulgetur; ut qui sentiant se à Deo, velut amantissimo sponso, aut parente dulcissimo in gremio divino foveri, nilque illis, siue adversum, siue prosperum, nisi ex suavissima illius dispositione, & amore Numinis singulari evenire, ideoque in ipsius voluntate plenissimè acquiescunt; ut dicant: *dilectus meus mihi, & ego illi, inter ubera mea commorabitur.* Et hic affectus maximè excellens constansque est, nec à Deo facilè, nisi in virtute diu multumque exercitatis, jamque ad intimam familiaritatem admissis, communicatur. Magis tamen in nostra, quàm superiores omnes, potestate est; ut qui seriò ad virtutem connitentibus, vix unquam negatur.

4. Odoratus.

Cant. 4.

s. Tactus

Cant. 5.

C

Ex

*Illusioni-
bus De-
manis
quandoq;
hic lo-
cus est.*

Ex his priores tres modi, quibus se Deus communicat illusionibus Diaboli magis, quam posteriores obnoxii sunt, cum ille se non raro transformet in Angelum lucis, fictisque luminibus, loquelis, ac suavitatibus fallat, ut rudis in hac arte, sine spirituali, & exercitato duce progredi ac fidere satis nequeat; præsertim, si à conformitate cum lege Dei, Ecclesiæ, aut religionis antiquæ hi sensus abducant, proprioque homines iudicio adversus communem Doctorum sensum affigant. Nam ex hoc sine velut cauda hic serpens potissimum agnoscitur. Hæc igitur tam ad instructionem, quam cautelam paucis censui communicanda.

CAPVT IX.

De triplici orandi modo, per Meditationem elevato.

*Heb. 4. de
modis
oran.
De tribus
orandi
modis tri-
plici via
accom-
modatis.*

UT omni via rectè pièque meditaturis consuleret D. IGNATIUS, aliam methodum tradidit, quàm orandi vocat; quòd ad usum communem orationis ex parte accederet. Triplicem illam constituit, triplici viæ purganti, illuminanti, & unienti accommodatam; ut qui in discursu steriles, vel debiliori aut fatigato ingenio sunt, facilem haberent meditandi rationem, ad quam se, non sine pro-
fectu

fectu spirituali, reciperent. Quanquam talis illa sit, quæ etiam ad omnia integris rectè utilitèrque queat persuaderi.

Primus orandi modus est, cum pro materia assumitur præceptum aliquod, Dei, vel Ecclesiæ: aut potentia, quæ in nobis est, præceptorum executiva; aut aliquod peccatum contra leges commissum. In quo, prævia mentis recollectione, ac gratiæ petitione, primò agnoscam æquum esse, ut præcepta servemus, potentiis rectè utamur, peccata vitemus. Deinde si secus factum sit, dolebo, & statuum deinceps cavendum; si rectè; gratiis Deo actis; me in proposito firmabo, & per colloquium gratiam à Deo postulabo, atque oratione Dominica concludam. Ita singula e. g. præcepta Decalogi evolvam, iis tamen potissimum inhærendo, contra quæ maximè deliqui, ut de seria emendatione statuatur. Ex quo patet, primum hunc orandi modum parum à consueta meditandi ratione abesse.

Secundus orandi modus, preces aliquas meditatione ruminandas assumit. e. g. *Pater noster*, & præparatione animi cum gratiæ postulatione præmissa, singulis deinde verbis (aut pluribus, cum ad sensum requiruntur) attentè pensitandis inhæret. Significata expenduntur, sensusque per similia illustrantur, ut piæ hinc motiones, gustusque spiritualis hauriatur. Et tamdiu singulis immorabimur,

1. *Modus de præcepto, potentia, aut peccato.*

2. *De præcatione aliqua verbotenus expendenda.*

dum ratio & affectus finent. Absolutâ porro horâ, quod ex oratione reliquum erit, cursim recitabitur, & colloquio, ad personam quam spectabat oratio, unâ cum gratiæ, aut virtutis alicujus petitione, instituto, finiemus. En alterum orandi modum Meditationi quoque assignem, qui per quotidianas preces, vim sensumque illarum magis penetrandum, magno fructu instituetur.

3. De simili
preca-
tione
strictius
per singu-
la suspi-
ria evol-
venda.

Tertius orandi modus, priori non dissimilis at strictior, eâdem præparatione mentis præviâ, singula verba, aut sensus orationis Dominicæ breviter, velut per singulas respirandi vices, transmittit, expensâ interim, vel significatione vocis, vel personæ ad quam spectat dignitate, vel mea ipsius vilitate, vel utriusque etiam differentia. Concludi denique hic, & superior orandi modus secundus poterit, per alias quasdam preces ordinarias celerius decursas: ut si *Pater noster* per suspiria expensum sit, addatur, *Ave Maria, Credo, Anima Christi, & Salve Regina*, velut loco colloquii.

CAPVT X.

De Repetitione Meditationum utiliter instituenda.

*Repetitio
quandoq;*

Observavit etiam D. IGNATIUS utiliter quarundam Meditationum, atque illa-

EXERCITIOR. SPIRITUAL. 37

illarum imprimis partium, in quibus gustus fructusque major fuit, institui repetitionem.

Est autem *Repetitio quaedam eorum ruminatio, quae prius meditata sum; ut ea continuo reminiscendo discurrat facilius intellectus sine divagatione.* In hac autem Repetitione tam praeludia, quam colloquia, usitato more instituntur. Hoc solum discrimen est: primo quidem, quod omittantur puncta & argumenta minus quemque moventia: secundo, quod discursus minus prolixè, ut in re jam utcunque nota, instituat, sed plus indulgeatur affectui. Unde tertio plura etiam colloquia induentur; ut magis animus in proposita pietate firmetur, & gratia ad hoc divina instantius urgeatur. Primum colloquium ad Matrem Christi, ejus apud Filium intercessionem, & gratiam vitae emendandae necessariam petendo: alterum ad Christum Mediatorem, ut Patrem ad hanc impetrandam flectat: tertium ad Patrem, ut exaudiat, dirigetur. Post primum, *Ave Maria*; post alterum, *Anima Christi*: post tertium, *Pater noster*, recitabitur.

Has ego repetitiones, pro diebus singulis, aut alternis, si libeat, instituendas, non subjeci Meditationibus, cum formari ex eis à quolibet possint, earumque judicium penes Meditatore ac Directorem maximè censeam relinquendum. Quod hi ex qualitate personarum & Meditantium successu, haec optimè queant constituere.

C 3.

CAPUT

utilis.
Ex 3. &
4. Exerc.
heb. 1.

Affectibus
& Collo-
quijs hic
plus indul-
gendum.

CAPVT XI.

*De ratione lectionis sacrae, piè fructuosè
sequè tractanda.*

*Lectioni sacrae
hic idem
liber impensè
se seruiet.*

Libellum hunc non solum Meditationi Octiduanæ, cuius sensum, nisi foveatur, & species & ardor evanescunt, sed & lectioni sacrae destinavi. Tum, ut ea quæ supersunt Meditationi in ipsis legendo exercitiis evoluantur, ubi promiscua lectio non est facilè admitenda; sed ad certum finem collimandum: tum vel maximè, ut conceptus anno toto, ex repetita partitim lectione, foveatur spiritus; & nunc ad peccata, aut cupiditates extirpandas, legantur quædam ex via purgante; nunc ad virtutum quarundam maximè necessariarum studium, ex via illuminante subdantur animo languenti stimuli: nunc etiam ex dissertationibus affectibusque cum Deo unientibus inflammetur. Ita enim juxta D. IGNATIUM Exercitationes nostræ institutæ sunt, ut brevi compendio totam vitæ Christianæ perfectionem complectantur: adeoque frequens & meditata ejusdem lectio, ita ut mox dicemus instituta, non possit non esse utilissima. Quocirca dissertationes affectusque ipsos sacris non raro literis, & Patrum quandòque sententiis, quæ aliùs autoritate insiderent animo, fulcivi.

*Ad Christianam vitam
vita
perfectionem
ducit.*

Benè

Benè D. Paulus : *Omnia scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum; ad corrigendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Quid est lectio sacra, nisi consilium, aut colloquium cum Deo, de tuæ salutis negotio institutum? Attende, quid dicam. Deus tibi, consulit, & tu non audias? tibi loquitur, & tu non respondeas? ad te venit, te compellat, familiaritatem tuam ambit, velut de cœlo exit ut te invisat in terris, sua tibi secreta communicet, futura aperiat, ostendat pericula, securitatem pandat, felicitatem offerat, & tu hæc possis negligere? recusare congressum? sermonem aspernari? consilia rejicere? amicitiam odisse? Absit, absit tanta à te vel amentia; vel infelicitas, ut mortalem quempiam amicum illi præferas, qui cum à te recedit, omne bonum amisisti, cum accedit, obtines.

Primò igitur aliquod tibi in die tempus statue, quo pium aliquem librum, tanquam literas à Deo missas, aut ipsius ex propinquo ad te loquentis voces excipias, dicasque elevato ad Deum cum Samuele animo : *loquere Domine, quia audit servus tuus* : vel cum Davide : *audiam quid loquatur in me Dominus.*

Secundò non intellectum tantummodo, verum & affectum hæc pascat lectio. Tractim igitur lege, ut singulas veritates rectè penetres ac ponderes, animùmque persuasum, vel à

2. Timoth. 3.

In lectione sacra Deus nobis loquitur & rectè consulit.

1. Preparandus ad lectionem animus.

2. Ut intellectus, sic & affectus pascenduntur.

In Epist. ad
Fratres de
monte.

3. Pia suspiria
sua intermis-
sionibus.

4. Salutare
dictum ex-
cerptandum.

5. Ardua
hinc negotia
resolvenda.

vitiis abducas, vel ad virtutem impellas. Curiosa lectio, quæ solam eruditionem spectat, non sufficit: verum affectuosa requiritur. *Hauriendus*, ait Bernardus, *lectionis seria affectus est, & formanda oratio, quæ lectionem interrumpat, & non tam impediatur interrumpendo, quàm puriorem continuè animum ad intelligentiam lectionis restituat.*

Tertiò itaque pia quædam suspiria, colloquiorum brevium instar, ad Deum formata, aut gratiis agendis serviant, aut petendis. Offerat & his nova Deo proposita, tam ad vitandum malum, quàm bonum prosequendum.

Quartò aliquod sibi dictum selegat, quod usque ad lectionem proximè insequentem animo sapiùs verset. *Aliquid*, ait idem Bernardus, *quotidie in ventrem memoria demittendum est, quod fidelius digeratur, & rursum revocatum crebrius ruminetur, quod proposito conveniat, quod detineat animum, ut aliena cogitare non libeat.*

Postremò in arduis rebus, dum anceps, quid agendum, quidve omittendum sit, hæsitans, ad pium se quandoque librum fortuitò apertum vertere consultum est, multisque hæc pietas benè cessisse comperta est. Ita Augustino anxie jactato dictum: *Tolle, lege: Tolle, lege.* Legit D. Paulum, & mundo relicto, Deum secutus est.

Verbo

EXERCITIOR. SPIRITUAL. 41

Verbo absolvam, qui ex Deo est, verba
 Dei audit: & cum David ex animo dicit: Da Psal. 119.

mibi intellectum, & scrutabor legem tuam,
 & custodiam illam in toto corde meo. Ex His omnia

his porrò intelliges, quàm oportunæ ad le-
 cionem sacram futuræ sint Exercitationes
 nostræ, cum & præparationem animi præ-
 mittant, & suos affectus discursibus sub-
 jungant, piâque suspiria non negligant, col-
 loquia ac proposita complectantur. Quot-
 quot igitur de corpore tēporalibus cibis pas-
 cendo solliciti sunt, cogitent animam lon-
 gè nobiliorem spirituali alimento non esse
 destituendam; ac si illud bis aut sæpius in-
 dies, hæc semel ut minimum reficiatur: ne
 dum tam sedulò vitam curamus morta-

lem, immortalis fuisse obliti co-
 ram supremo Iudice ju-
 re arguamur.

* * *

C s

DE